

cap. 201 Regnum Franchorum est sub papa.

De tertia questione, scilicet quomodo imperator dicatur exemptus a subiectione ecclesie, est sciendum, quod¹⁾ rex Franchorum id est Theutonicorum fuit subiectus ecclesie tempore, quo Constantinus imperator occidentis imperium beato Silvestro donavit; sed cum papa transtulit imperium de Grecis ad Germanos id est Theutonicos in persona Karuli magni, tunc papa exemit imperatorem a subiectione ecclesie eo quod sue dispositioni comisit totum imperium¹⁾; et²⁾ merito debuit ecclesia hoc facere scilicet a servitute ecclesie liberare, quia ipse Karulus liberaverat papam a servitute Desiderii regis Longombardorum. Sic enim servus vindicans mortem domini sui pro premio meretur libertatem, Ecclesiastici vii.a)³⁾: 'Servus sensatus sit tibi dillectus quasi anima tua, non defraudes eum libertate.' Unde legitur in libro Iudith⁴⁾, quod Iudith <dimisit> abram ancillam suam liberam, quia astiterat ei in periculis²⁾. Preterea: contra ecclesiam romanam prescribitur spatio annorum centum^{b)}, contra alias ecclesias spatio annorum XL^{c)}, <C.> de sacrosancta ecclesia. Auth. Quas^{d)} actiones⁵⁾; sed non extat memoria, quod rex Franchorum recognoverit summum pontificem dominum suum <a tempore Innocentii III ...>⁶⁾; ergo pape non subicitur. Si quis autem dilligenter advertat, ista verba sunt nullius ponderis, tum quia prescriptio humana non tollit ius divinum⁷⁾, quo quilibet christianus pape subicitur, ut habetur supra capitulo CLXXXV^{e)}; tum quia imperator recipiens a summo pontifice imperium ipso facto eius servus feudalis efficitur; tum quia ipsum regnum Franchorum id est Theutonicorum spetiali servitute subicitur pape, quia vadit per electionem et per papam confirmatur, sicut patet de Pipino grosso patre Karuli magni. Unde Bonifatius VIII omnibus principibus mundi scripsit⁸⁾, quod subiecti erant ecclesie in temporalibus et contrarium asserentes sunt heretici; quere supra capitulo CVIII^{f)}.

cap. 202 Quod imperium semper debet esse in Ytalia.

De questione quarta^{a)}, scilicet quomodo imperium sit per Karulum magnum de Germania translatum ad Ytalicos in personam^{b)} Lodovici pii filii eius^{c)}, est sciendum, quod imperium primo fuit in civitate Roma, que est in^{d)} Ytalia; postea translatum fuit in Gretiam in personam Constantini magni, postea translatum fuit ad Germanos in personam Karuli magni. Karulus magnus divisit imperium occidentale in tres partes sed regnum ytalicum dedit Lodovico pio primogenito suo, ut esset imperator et ecclesie subiectus, ut supradictum est. Ratio etiam naturalis^{e)} persuadet, quod imperium sit in Ytalia. Dicitur enim in Libro de natura locorum¹⁾, quod ad gubernationem imperii duo requiruntur

cap. 201 a) v. BW b) XL BW c) centum BW d) quam BW e) CLXXXVII BW f) CXII BW

¹⁾ quod — imperium vgl. Petrus de Palude, Tract. de pot. papae 249, 4—10. ²⁾ et — periculis vgl. ebd. 252, 6—24. ³⁾ Ecli. 7, 23. ⁴⁾ Jdt. 16, 28. ⁵⁾ Auth. post Cod. 1. 2. 23 ex Auth. 9. 14. 6 (Nov. 131. 6); vgl. Petrus de Palude, Tract. 253, 26 ff. ⁶⁾ Vgl. ebd. 250, 24 ff. und 253, 28 ff. ⁷⁾ Vgl. ebd. 253, 16 f. ⁸⁾ Siehe cap. 200 Anm. 3.

cap. 202 a) quinta BW b) persona B c) et add. BW d) om. B e) etiam add. B

¹⁾ Vgl. Albertus Magnus, De natura locorum 2, 3 (ed. Paris. Bd. 9, 1890, S. 562 ff.); der erste Teil (ad — animorum) nicht bei Albert; das Folgende könnte dieser Stelle entnommen sein. Vgl. auch Thomas von Aquin, De reg. pr. 2, 1 S. 20 f. und Dante, Monarchia 2, 6.